



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Irene. V.M. 5. Aprilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

vir irrito conatu, quòd in Magnæ Matris tutelâ ef-
fer, quæ suo pugili adstitit, & victorem rude do-
navit, in nos quoque exemplum repetitura, si
cum VINCENTIO vincere vellemus. Acta olim fu-
riis mater, ac proli suæ iniqua infantem in multas
partes fecerat: has collectas vir sanctus integri-
tati vitæque restituit, post dæmonem etiam de
morte triumphans, quæ proinde obstuere viam
huic sideri non potuit, quo minus ad cælum an-
no M. CD. XVIII. ferretur. *Ex Sur.*

*Ad evitandas diabolicæ pugna molestias valenter
assurgemus, si necessitatis ultimæ periculum provi-
dè pertractemus: nam si repentinus ille atque terri-
bilis adventus Christi perpeditur, quid erit in mun-
do, ubi mēs humana delectetur? S. P. Dam. l. 1. ep. 19*

S. IRENE. V. M. 5. Aprilis.

IRENE S. Anastasiæ famulabatur, conditione,
non item virtutibus Heræ impar. Vnà cum dua-
bus sororibus ad tribunal rapta est immitis Dulci-
tium, quodque magis timendum fuit, etiam lascivi.
Profuit innocenibus, quòd amor in furorem abi-
it, qui Dulcitiū ad disuaviandas ollas impulit,
quarum fuligine deformatus cæcus amator, bac-
chatuſque per urbem populo ludos præbuit. Sed
neque cum denudari virgines mandasset, vestes
corporibus eripi ullâ vi potuere; pugnante pro-
iis, & togas retinente mordicus pudore. Fornice
deinde (Babyloniam dixisset) conclusæ IRE-
NES sorores, inter flammarum blanditias veriùs
quàm tormenta, mortem somni similem, illæsis
corporibus, oppetierunt. IRENE verò ardentiores
etiam ignes evasit; in lupanar quippe Veneris for-
nacem

H 4

nacem

nacem per vim intrusa, ab Angelis sub militari habitu latentibus, illibatâ virginitate, inde educta est, & in montem ablata, extra teli quidem Cupidinis jactum, non æquè tamen furentis adhuc Dulcitii posita; ab hoc enim celeriter insequente, eminus sagittâ transfixa est volens lubensque, & amorem suum Numini saucio pectore testatura, mox in ejus complexum à cælestibus Paranympis domum, id est cælum, deducta; anno salutis CCC. IV. Ex Actis S. Anastasia.

Mox ut germinare inceperint sæda cogitationes, compunctionis gladio interimat ipsas, qui cordis sui IESVM cupit habere possessorem, virilem super se adhibeat custodiam, quâ nec seducatur nec alliciatur.
S. Laur. Iust. de Cast. Conn. c. 33.

S. GVILIELMVS C. 6. Aprilis.

GVILIELMVS domi nobilis, Hugoni Abbati, apud Parisienses, à parentibus ad omnem pietatem informandus traditus est. Nec abhorrebat à disciplinâ pius animus, quâ comite feliciter in literis progressus, facilè superabat æmulo, quibus ob morum integritatem fastidio fuerat. Patebat multorum invidiæ, quam ille æquo animo perferens, nihil alienum à virtute patrabat, quæ sedem firmam in pectore ipsius jam fixisset. Dubius quo vitæ genere virtutis studia decurreret, monente tandem severiùs Odone abbate, & objectâ Christi crucifixi in vitreâ fenestrâ depicti specie, pectori ejus faces subdente, in religiosam se familiam recepit, in quâ cælestibus promissis accessus, ita probavit aliis, ut Roschildensibus præficeretur Abbas. Et quia pii omnes adversis exer-